

**www.e-rara.ch**

**Dialogorum Platonis argumenta**

**Tiedemann, Dieterich**

**Biponti, MDCCLXXXVI [1786]**

**ETH-Bibliothek Zürich**

Shelf Mark: Rar 2796

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-32325>

Amatores.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

## T H E A G E S.

**T**H E A G E S Demodoci filius, discendae sapientiae cupidus, ad Socratem a patre deducitur, ut, qua ratione adipiscatur sapientiam, eum consulat. Sapientia autem (*σοφία*) cum cuiuslibet rei peritiam Graecis significet; quaerit ex eo Socrates, quidnam sit, in quo excellere secum constituerit: eoque artem a se expeti eam respondente, qua liberae civitati praeesse aliquis possit; & una cum patre, Socratem, ut erudiatur ab eo, rogante; Socrates ad genium provocat; esse sibi namque genium, qui voce aliqua deterreat quidem, nunquam autem impellat: quae is moneat, ea semper quoque evenire; eo invito nullam a se rem doceri cum fructu posse; qui genio invito in disciplinam sese sibi tradiderint, nihil profecisse; huius ergo genii vocem esse exspectandam. Similia sunt haec iis, quae in Apologia de genio attulit. quod attinet autem ad exempla, quibus, evenisse semper a genio praemonita, demonstrat: probabile est, Socratem eorum more, qui divinandi aliquam sibi tribuunt facultatem, praetermissis, quae secus ceciderant, ea tantum, quae respondebant praevisis, memoriae mandasse, & suammet prudentiam pro monitu quodam divino habuisse; casum praeterea rem adiuvisse: ut enim sunt, quibus in ludendo aliisque rebus mire fortuna favet, ita sunt etiam, quorum praedictis ac provisionibus prae ceteris casus opitulatur.

## A M A T O R E S.

**D**I O N Y S I U M Grammaticum conveniens, cum iuvenibus quibusdam & eorum amatoribus quem habuerit sermonem, Socrates narrat. Propositum est ei redarguere opi-

nionem, quae Sophistarum invaluerat iactantia, philosophiam esse pansophiam. Postquam igitur rem praeclaram, bonam, hominemque prae ceteris decentem esse philosophiam, fundamenti loco posuit; refellit iuvenem, omnium rerum peritiam eam esse affirmantem: ut enim nimia corpori nocent, ita nimia quoque eruditio, animo obest. Quae nam igitur maxime sint discenda e iuvene quaerens, eoque ea respondente, unde maxima paretur laus & gloria, artes praesertim cunctas, exceptis tamen opificiis: obiicit Socrates, fieri non posse, ut in artibus cunctis summus quis evadat, adeoque fore philosophum omnibus, qui penitus artem aliquam callent, inferiorem, id est, inutilem; cum tamen utilem eum, utpote bonam callentem artem, antea concessisset. Philosophiam igitur, rem bonam & utilem, circa aliud quid versari necesse est, id nempe, quo meliores redduntur homines. Iam autem in omni arte, qui meliores quomodo reddantur equi, v. g. animalia, homines, callent iidem coercere, poenisque afficere recte, ac discernere bonos a malis norunt: cumque iustitia in rebus publicis malis poenas infligat, hanc scientiam esse iustitiam concluditur. Eadem etiam iustitia bonos ac malos noscit; nemoque, qui semet ignorat ipsum, nosse alios potest: unde, cum sui ipsius cognitio sit sapientia, sapientiam & iustitiam esse eandem efficitur. Hac eadem iustitia reges, patresfamilias, regna, domumque administrant: est adeo ea scientia etiam politica, oeconomica; ut verbo dicam, scientia, quae omnia gubernat & administrat; proinde summae utilitatis, id est, vere philosophica; ergo philosophia in omnium artium peritia minime versatur. Cum non esset Platoni propositum, philosophiam, qualis esset, accurate definire; cumque, quae de ea afferuntur, satis essent ad redarguendam Sophistarum absurdam vaniloquentiam: reprehendi etiam iure non potest, quod accurate parum de philosophiae natura differit. Id tamen non omnem effugit reprehensionem, quod iustitiam, politicam, oeconomicamque scientiam, quae partes sunt &

species practicae philosophiae, sapientiaeque latissime sumtae, inter se confundit, unamque esse omnes scientiam contendit.

---

### T H E A E T E T U S.

**C**ONTRA falsas quasdam scientiae definitiones disputaturus, post prooemium, in quo disceptationis occasio exponitur, cum Theodoro geometra eiusque discipulo Theaeteto loquentem Plato Socratem inducit. Proposita igitur Theaeteto quaestione, quid sit scientia? eoque geometriam, opificumque artes esse scientias respondente, aberrare eum a proposito, nec, quaenam ipsa sit scientiae natura ac definitio, declarare docet. Id esse difficillimum, nec saepius conanti rem sibi successisse, fassus Theaetetus, ut ipse explicet, Socratem rogat: eoque ignorantiam excusante, nihil quippe se scire, & obstetricis filium, obstetriciam tantum artem callere, cuius ope ex aliorum quidem animis interrogando aliquid eliciat, idque ipsum quale sit deinde inquirat, proinde nulla de re posse se in medium quidquam afferre, sed quicum colloquatur, eum ponere aliquid, de quo disputetur, debere; Theaetetus ad respondendum redditur promptior. Hinc Scepticismi Socratem & Platonem accuserunt multi, verba magis, quam rem, attendentes: plane enim, quod verba sonant, omnium rerum fuisse Socratem ignarum, cum tanta arte interrogaret, affirmare nulla licet ratione; immo ne certi quidem eum habuisse quidquam, cum examinare sese aliorum responsa, falsa reiicere, quae autem recte sese habent, iis accedere se dicat. Utitur hoc artificio Socrates ad effugiendos Sophistarum laqueos, quos tendi sibi semper videbat; nihil enim affirmans, redargui non potest: praetereaque, cum liceat ei omnes disputando aggredi, ac refutare, So-